

## CAPUT III.

## De obligatione orandi pro populo.

105. *An parochus teneatur orare non solum in genere (prout facit, v. g. recitando horas canonicas), sed etiam in particulari, nempe praecise pro populo sibi commisso?* Affirmative. Patet ex Suarez (*De Rel. Tom. II. 1 in fin.*) cum communi. Vide etiam Const. *In suprema* SS.mi D. N. Leonis XIII (*an. 1882*).

106. *Si parochus omnibus et singulis diebus ab Ecclesia designatis Missam pro populo celebret et applicet personaliter, obligationi orandi pro populo satisfacitne sufficienter?* Ordinarie videtur affirmandum; ex una parte enim praeceptum orandi pro populo quoad frequentiam non est determinatum, et ex alia Sacrificium Missae est praestantissimum precatationis genus, ut legitur in Const. cit.; imo in Missa (nempe in *memento* vivorum et mortuorum) parochus pro parochianis suis vivis atque defunctis explicite orabit. Dixi *ordinarie*; si enim populus extraordinariis tentationibus et periculis exponeretur, aut si aliqua specialis occurreret orandi necessitas, tunc parochus ad aliquid amplius teneretur. Cf. Suarez (*l. c. 17*).

107. *Quid si parochus (v. g. propter infirmitatem) raro aut nunquam Missam pro populo celebraret?* Tunc (relate ad obligationem orandi) non sufficit quod alter sacerdos pro populo applicet; obligatio enim orandi est personalis, et saltem singulis diebus festis urgere videtur. Cf. S. Lig. (*VI 327*), Acta (*I 402*), et Const. cit. Hinc in Ecclesia orientali, quando parochi non celebrant pro populo, debent pro illo orare. Acta (*I 409 in nota*).

## CAPUT IV.

## De sermone ad populum, aliisque praedicationibus.

Tractandae sunt quaestiones sequentes: 1. An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat? 2. Quid de hoc sermone quoad substantiam? 3. Quoad modum? 4. Quibus diebus et an intra Missam? 5. Utrum in parochis hoc sit onus personale? 6. An et quatenus adesse possint excusationes? 7. Quid de poenis? 8. Quid de gradu culpae in omissione praedicationis? 9. Quid de aliis praedicationibus in parocia?

## ARTICULUS I.

*An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat?*

108. Ad hoc parochi, oeconomi spirituales et quotquot parocias regunt, tenentur certe iure ecclesiastico, quod fundatur in iure divino, et haec obligatio ab officio pastoris naturaliter profluit.

109. Tridentinum dicit (*Sess. V. C. II*): « Quicumque parochiales ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant ».

110. Et (*Sess. XXIV C. IV*): « Praedicationis munus exerceatur per parochos, sive, iis impeditis per alios... ab Episcopo deputandos », et (*l. c. C. VII*): « Inter Missarum solemnias (parochi) sacra eloquia et salutis monita etiam vernacula lingua (si opus sit) singulis diebus festis explanent, eademque in omnibus cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque in lege Domini erudire studeant ».

111. Denique (*Sess. XXII c. viii*): « Mandat S. Synodus ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant ».

## ARTICULUS II.

*De sermone ad populum quoad substantiam.*

112. *Sermo ad populum in quo consistit?* In duobus. 1<sup>o</sup> In explicatione catechismi. 2<sup>o</sup> In explicatione Evangelii vel Epistolae. Patet ex Trid. (*ll. cc.*) Cf. Scavini (*I 640*).